

III / 159

D. S. D.

69

A P H O R I S M I
D E M E T A L L I S.

Quorum Veritatem,

Præside.

C L A R I S S. E T E X C E L L E N T I S S. V I R O
D N. PETRO Guliel: F. LAVREMBER-
GIO PHILOSOPH. ET MEDIC. Doct.
ET PROFES: IN GYMNASIO HAMBVR-
GENSI:

Publicâ Disputatione tuebitur
H I N R I C U S K R E V E T ē SAXONIBUS
H E R F O R D I E N S I S.



*Ad D. 23. Septemb. Hor. VII. Matutina in,
auditorio Philosophico.*

H A M B U R G I, ex Typographia PAULI Langii,
ANNO CLC XV.

I

AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS
Prudentissimisq; Viris

DN. ERICO SOLTOW

DN. GEORGIO à FECHTEN

DN. ALBERTO ab EITZEN J.U.L.

DN. EBERHARDO TWESTREN-

-HIMBREGIO J. U. L.

*Patribus patriæ vigilantisimis ac Senatoribus inclytæ
Hamburgensium Reipub. laudatissimis, præterea Gymnasiarchis
meritisimis, D.D. patronis ac fautoribus suis sub-
missæ venerandis.*

*enimoxas SIMUL ETIAM
Literatisimis, generis familiæq; dignitate & antiquitate,
omnium quoque virtutum splendore conspicuis viris
Juvenibus Patriciis*

DN. JOACHIMO WETKEN

DN. MARTINO à FECHTEN

DN. JODOCO GRAVEN

*Mecenatibus & Patronis suis officiosè colendis
Aphorismos hosce Physicos debitæ observantiae & gratitudi-
nis ergo offert & consecrat.*

HINRICUS Krevet R.



APHORISMI DE METALLIS.

THESES I.

Mposterum Metalla & precia rerum dicemus, ituri in viscera Telluris, quæ alibi divitiis foditur, dum aurum & argentum quærimus: alibi deliciis, ob gemmas & digitorum pigmenta: alibi temeritati, ob ferrum auro ipso gratius inter bella & cædes.

II.

Mineralium formas esse tales ignoramus, quas potentissimas arguunt diuturnitas & accidentia quibus comitantur. Paucorum etiam virtutes novimus. Et quamvis omnes fibras terræ persequamur, vivamusque super excavatam, vix tamen venitur ad fundum, in quo veritas & perfecta horum cognitio delitescit.

III.

Nos metalla ponimus inanima. Qui narrationibus Aristotelicis adhiberet fidem, animata crederet, & nasci simili modo, quo vegetalia. Scribit enim aes in Cypro circa Tirrham contulsum seminari à rusti-

cis & maturum cum fœnore colligi. Ita in Pieria, Macedoniae ab antiquis regibus defossum aurum renatum est magnitudine sesquipedali. Chemicorum nullus est qui ex venis, augmento, excretionibus corundem vitam & animam non colligat.

IV.

Nascuntur metallæ è viscoso subterraneo halitu, aquâ & terrâ metallari oriundo, vel potius è sulphure & argento vivo. Hinc causam petimus, cur inter meteora connumerentur ab Aristotele.

V.

Materiam hanc calor coquit ac coagulat: frigus cætera condensat. Nam videmus perfecta etiam metallæ, liquata ignique denuo remota ultiro concrescere. Humor tamen multum juvat; unde locis humidiusculis uberioris proveniunt.

VI.

Patria omnium & genitale solum Terra est. sicuti extra fœminæ uterum non gignitur infans, sic nec extra illam Metalla. Multa summâ sui parte tribuit Tellus, ut minime parca facilisque in omnibus quæ prosunt, sed plurima quoque intra se occultavit quæ non nascuntur.

VII.

Omnia aliquam terræ portionem acceperunt: alia majorem aliis. Hinc non omnia æque pura: Hinc etiam rubigo, quæ est exsiccata terræ portio: quo

DE METALLIS.

3

quo puriora, eo minus totius concretionis admistum gerunt; minusque facile concipiunt rubiginem.

VIII.

AURUM corporum horum perfectissimum est, ortum è Mercurio puriori & sulphure præstantiori. Hermetici dicunt (non tamen ex nostro ingenio) esse unicum Naturæ amorem: quippe quo solo efformando perpetuò occupetur. Cætera quasi vitia esse & monstra, quæ dum producat quum finis sui fœliciter nequit potiri.

IX.

Nullum est quod malleo tam benè diducitur atque hoc. Terra grani unius portio ad longitudinem centum & plus quam triginta pedum extenditur: Una ejus uncia ultra decem terræ jugera tegit. Tantam tenuitatem addit manus artificis. Nullum etiam quod æque firmum ac constans. Uni nil deperit auro ignibus exposito. Χειρὸς ἐψόμφυτος αὐγὰς ἔδειξεν: quoque arsit sæpius eo proficit magis ad bonitatem. Pondus ei inter metalla summum. Plinius falso retulit vinci à plumbō.

X.

ARGENTUM sulphure quoque satis mundo albo-que constat & Mercurio defœcato: sed tamen & ille & hoc aliquid impuritatis addunt: ille quia albæ περγαμηνή nigras inducit litteras, & igni fuscum redditur: hoc quia non prorsus alienum à combustionē.

A 3

XI. Cæ-

DE METALLIS.

XI.

Cætera de genere hoc longius abeunt à duorum istorum excellentiâ: scilicet principia fugacia acceperunt & impura, quæ non sustinent fulmen excoctoris: Talia sunt argentum vivum, plumbum utrumque, cuprum, ferrum, æs. Hoc postremum præ reliquis æternam habet perseverantiam, nec ut aurum rubigine tangitur, seu aquâ demersum seu terrâ.

XII.

Restat natura lapidum, præcipuum superbiæ adthniculum, & potior morum insanias, ut Marmora, cum succis, & Chrystalli cum murrhinis sileantur. Multi sunt horum census. Factitii, ut lateres. Transmutati, ut arbores & lithospermi semen, quæ lapidescunt tempore: itemq; arbor corallium. Producti in animalium corporibus, ut calculus: Sub terra natati, ut Magnes, & aliæ in actum Naturæ coactæ majestates.

XIII.

Adamas & splendore, & precio, & raritate primus. Celebris est illius indomita vis, quæ duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri ignisque contemporix, hircino sanguine rumpi creditur. Hæc fabulosa ferè hodie deprehendimus: Illud quidem de igni verum confirmat experientia: At de sanguine fœdissimi animalium non item. Vidimus magnum ex Oriente adveatum adamantem, qui ad levem contactum cæli medius disruptus est: Vidimus alium qui mallei iictu in pulverem est comminutus.

Saphi-

DE METALLIS.

XIV.

Saphirus post Adamantem durissima est gemmarum, ut Sarda molliissima. Ille difficulter, hæc ex facili sculpitur, sculptaque sola fere ceram non auffert:

XV.

Eranos (nos Turcosam vocamus) si quâ gestetur ab homine langescente & moibido, & ipsa nativo vigore orbata expallescit. Iterum cum convalefcente reviviscit; Id non caret ratione physicâ.

XVI.

Sic Corallium quoque, λαζαρίτης, cuius sub aquis baccæ candidæ & ad modum ceræ flexiles, aquis exemptæ durescunt cum rubore: Hoc inquam à viro gestatum exuberantius rubet quam à foemina, cuius consuetudine in pallorem langescit: Etiam hujus rei ratio potest dari.

XVII.

Magnes vulgaris quidem est, cuius pondo duabus argenti drachmis fere emitur: quid tamen illo mirabilius? Ecquid pigrius illius rigore? Ecce brachia illi manusque natura tribuit. Pugnax ferri duties cedit & moras patitur tracta à magnete, dominatrixque illa rerum materies ad hunc currit, adsistit, & complexu hæret.

XVIII.

Etiam majus in illo miraculum, quod antiquæ sapientia ignoravit. Convertit se sponte suâ ad suos polos

DE METALLIS.

Polos in Boream & Austrum, qui constanti & immutabili intervallo 22 g, 30 m. à cardinibus terræ recesserunt. In terra hi poli sunt non in cœlo, aut aëre, aut nescio quo inani,

XIX.

Plinius scribit, Magnetem allio illitum perdere facultatem attractricem, aut si illi adamas adjungatur proprius, Nobis hoc aliquoties tentantibus, nihil tale fuit observatum. Interim scimus, pinguedine obtum imbecilliores fieri quidem, è contra fortiorum, si ferreis laminis circumdetur undique.

CORONIDES.

I. Non solum plantis & animalibus, sed veris quoque lapidibus vescimur homines, qui & sicubus & melle sunt dulciores.

II. Imo è lapidibus & ne mortario contusis mantilia teximus & uestes, sat vili precio nostrâ hâc atate : Plinii vero tempore aquabant precia excellentium Margaritarum.

III. Si verum id quod de pueri Silesio referunt, jam aurum etiam in hominis corpore intra gingivarum alveolos nascitur : Puer enim illi aureus dens succrevit,

IV. Quaritur an vera sit metamorphosis, quoties ferrum a quis certis injectum in Cuprum degenerat.

V. Mirum, quo pacto Aurum à moderato hominis calore concoquatur, (propinant enim id Medici) quod nullo igni domari potest.

26 50





